






13 24./
1750 11

CONIECTVRAM
DE SENSV
LEGIS VIII. PRINC. D.
DE SERVITVTIBVS

EXHIBET



AC

ORATIONEM INAUGVRALEM
SOLENNI RITV HABENDAM

INDICIT

GEORGIVS FRIDERICVS
KRAVS D.


TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE
ET REGVLIS IVRIS PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS

CONJECTURAM
DE SENSA
REGIS VII. FRANC. D.
DE SENSI

DE SENSI
DE SENSI
DE SENSI
DE SENSI
DE SENSI

DE SENSI
DE SENSI
DE SENSI
DE SENSI
DE SENSI





Quamuis sat multae grauesque existant interpre-
tum querelae de obscuritate plurimorum fra-
gmentorum, quae, ex scriptis IULII PAVLLI
ICTI, in iurisprudencia Romana supersunt, cu-
ius abruptam nimis concisamque scribendi rationem, non vno in
loco,^a accusat IACOBVS CUIACIVS, quemque, si in manibus
habuisset, per capillos interrogare RAPHAEL FVLGOSIVS de-
creuerat^b: summum tamen istum ICTum merito excusat vir, o-
mnibus accurati legum romanarum interpretis dotibus abunde in-

A structus,

^a) ad Africanum, tractat. V. in explic. L. 88. D. ad L. Falcid. et Observationum L. XXII.
cap. 36.

^b) ad L. 17. D. de inoffic. testam.



structus, CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK^c, qui, si quam habeat concisum dicendi genus difficultatem, hanc, verborum rerumque examine attento, facile superari posse, contendit. Illis vero locis Paullinis, quorum explicatio admodum turbavit interpretes, non immerito annumerabimus agitatissimam Legem VIII D. de Seruitutibus, vbi Iureconsultus sic ait:

VT POMVM DECERPERE LICEAT, VT SPATIARI, ET
VT COENARE IN ALIENO POSSIMVS, SERVITVS IM
PONI NON POTEST.

Equidem ipsa huius legis lectio, si verba tantum consideres, adeo aperta est, vt omnino criticae manus nullo indigeat auxilio. In eo quoque inter omnes fere conuenit, quod nonnullis istis specialioribus exemplis, seruitutes, voluptatis tantum causa constitutas, generalius indigitauerit PAVLLVS.^d At hoc sollicitat multos, quod ICtus rationem sui dogmatis reticuerit penitus, ex qua deum intelligi recte potuisset, num de omni seruitute, personali pariter ac reali, eaque tam vrbana, quam rustica, an de singulari saltem specie, fuerit locutus; et vtrum regulam tantum veteris, strictique iuris, an ad vsum quoque suorum temporum

c) in comment. ad L. lecta 40. D. de reb. cred. cap. I. et cap. IX.

d) vid. quos paullo post coniuncsim citauimus.



porum pertinentem, tradere voluerit. Vnde factum est, vt interpretum alii aliter, pro suo quisque ingenio, ea de re subducendas esse rationes existimauerint. Id quod ex iis, quae hanc in rem post Glossatores a CUIACIO, ^e GVILIELMO FORNERIO, ^f GERARDO NOODT, ^g BACHOVIO, ^h SCHILTERO, ⁱ VLTRICO HVBERO, ^k eiusque filio, ZACHARIA HVBERO, ^l CHRISTIANO THOMASIO, ^m et aliis pluribus, ex parte speciose, disputata sunt, ad intelligendum satis erit. Sed singularum opinionum indicem dare, nec vacat, nec magnopere opus est, cum praeter Gerardum Noodt, plerique, quos euoluere mihi licuit, quamuis varia cum specie, id agant potissimum, vt seruitutem, quae in mero voluptatis fructu consistat, aut omnino seruitutem quandam, aut certe realem esse posse, negent; a quibus Noodtius in eo discedit, vt Paullum tantum de veteri strictoque iure capiendum esse, censet. Licet autem eatenus Noodtii sententiam, assensum meritoram,

A 3

ram,

e) *Observat. L. XXIV. cap. 22.*

f) *Selectionum L. II. c. 28. in Thesaur. Ortonis Tom. II.*

g) *probabil. L. I. c. II. et III.*

h) *Institut. L. II. tit. III. §. 4.*

i) *Exercit. ad Pand. XIII. §. 2.*

k) *in Prael. Pandect. tit. de Seruit. §. 6.*

l) *Dissertat. L. III. diff. 2. c. 1.*

m) *in Scholiis ad all. l. Vlr. Huberi.*



ram, pluribus ex causis existimem, vt, etiamsi fortassis, quod HO
RATIVSⁿ ait,

- - - non ita Romuli
praescriptum, et intonsi Catonis

Auspiciis, veterumque norma

fuiisset, certe Paulli aetate, crescente seculi luxuria, etiam volupta-
rium ius, realis seruitutis lege, acquiri potuerit, neque hoc gene-
ratim a Iureconsulto nostro negatum videatur: id tamen vereor,
ne modus, quo explicare mentem Paulli Noodtius tentauit, violen-
tus nimis existat. Eum enim ita intellectum vult, quasi scripsis-
set: *talem seruitutem imponi quidem non posse*, (scilicet veteri
ac stricto iure) *si tamen imponatur, vtilem fore impositionem,*
quia hoc iure utimur. At, si haec Icti mens fuisset, non excu-
sanda eius foret negligentia, siquidem, vt recte obiicit ZACHA-
RIAS HVBERTVS, ° meram iuris antiqui regulam, suo tempore
falsam, absque iuris recentioris mentione, proposuisset.

Alia autem, et, nisi fallor, facilior adhuc, explicandae men-
tis Paulli suppetit via; quem in dicta leg. v III. saltem de iure praediorum rusticorum locutum, ideoque generatim ab ipso negatum

haut

n) Carminum L. II. Od. XV.

o) all. Dissert. L. III. diff. 2. c. 1. §. 6.



haut esse, quod ius decerpenti pomi, spatiandi, coenandiue in alieno, etiam realis cuiusdam seruitutis iure imponi possit, multum, si recte colligo, probabilitatis habet. Coniecturae rationes fere hae sunt.

Videlicet fragmentum, de quo agimus, ex Pauli libro decimo quinto ad Plautium esse desumptum, ipsa legis inscriptione monemur. Iam reliquas, ex eodem ICti libro excerptas, et a iuris Iustiniani architectis per diuersos Pandectarum titulos dispersas, in consilium adhibeamus reliquias; quem, cum alias, in eruendo legis sensu, aptissimum esse, a pluribus, iisque summis ICtis, demonstratum est, ^p tum in nostra quoque specie, ad assequendam Pauli mentem, tutiorem modum fore crediderim, quam si cum CUIACIO, ^q HVBERO, ^r aliisque, ex rubrica tituli Pandectarum de Seruitutibus, cui hanc legem inferere compilatoribus placuit, rem definire velimus. Enimuero, pleraeque, ex isto Lib. XV. ad Plautium, in opere Digestorum conseruatae particulae, nos docebunt, quod Paullus ibidem potissimum in exponendo seruitutum rusticarum

^p) vid. BRUNQVELLI *hist. iur. P. II. cap. 4. §. 28. seqq.* et LABITTI *usus sui iudicis legum.*

^q) *Observat. L. XXIV. cap. 22.*

^r) *all. Dissertat. 2. c. I. §. 4.*



carum iure occupatus fuerit. Sic in L. 6. D. de Seru. praed. rust. de iure calcis coquendae, arenae fodiendae, pascendi pecoris; in L. 35. D. eod. tit. de aquaeductu; in L. 8. et 10. D. quemadm. Seruit. amitt. de viae et itineris iure; ac in L. 12. D. de aqua et aquae plu. arc. de aquae hauſtu, et pluribus agitur, quae cuncta conceptis verbis ad iura rusticorum praediorum VLPPIANVS ^s refert.

Inprimis autem illud praetereundum non est, quod naturalis fere sermonis series prodere videatur, nostram Leg. 8. de Seruit. a fine memoratae L. 6. D. de S. P. R. esse auulsam. Vnde, si binas has leges rursus coniungere, et vno legere spiritu velimus, adhuc pateſcere euidentius poterit, Paulo tantum de seruitutibus rusticis sermonem fuisse. Etenim in cit. L. 6. in qua conturbatum scripturae ordinem emendare tentauit GERARDVS NOODT, ^s iura saltem praediorum rusticorum tractari, satis nos admonebunt, cum, quod antea dixi, seruitutum, quae ibi adducuntur exempla, tum aliquoties in illa occurrens vox *fundi*, sub qua praedia rustica intelligi, nec vnquam praedia vrbana fundos appellari, contendit CUIACIUS. ^u Itaque legis 6. D. de S. P. R. a Digestorum archi-

^s) L. 1. et 3. D. de Seruit. praed. rustic.

^z) Probabil. L. 1. c. 3. §. 9.

^u) Observation. L. XI. c. 36. add. L. 211. D. de verbor. sign.



architectis congruo fatis loco insertae, (dummodo L. 8. D. de Seruitut. ab hac materia non penitus diuulsa fuisset) hic sensus erit: Ius, quod possessori fundi, i. e. rustici praedii, in alieno concessum est, si nihil plane ad fundi vsum conducatur, vsusfructus videtur; Sin meliorem praediorum (puta rusticorum; vt enim cum WAECHTLERO * legamus: *personarum*, pro: *praediorum*, opus haut esse videtur) causam faciat, seruitus (scilicet rustica) erit: tamen si potissimum personae contineat commoditatem, veluti, vt tugurium mihi habere liceat in tuo, si habeam pascui seruitutem, aut pecoris appellendi, vt, si hiems ingruerit, habeam, quo me recipiam. Nunc annectamus, quod in lege nostra VIII D. de Seruitut. habetur: sed vt pomum decerpere, spatium et coenare in alieno liceat, seruitus imponi non potest; et nullo apparebit negotio, Paullum intelligere saltem illam, de qua ipsi in antecedentibus sermo fuit, speciem, seruitutem scilicet rusticam.

Quo quidem modo ratione non carebit Iureconsulti assertum. Cum enim praedium rusticum ad oeconomicum vsum, agriculturam in primis, et rem pecuariam sit destinatum, * eius natura fer-

B

re

*) in notis ad Gerardi Noodt probabil. L. I. c. 3.

3) vid. L. 180 et 211. D. de verb. sign. add. VINNII comment. ad §. I. I. de Seruitut. et HEINECCI not. ad h. l.



re non videtur istam molliem, ut merum quoddam voluptatis exercitium, nihil ad fructum huius praedii attinens, quodque ordinarie vix appetere creditur macula rusticorum

*Proles, Sabellis docta ligonibus,
versare glebas: et seuerae
matris ad arbitrium recisos
Portare fusteis: sol ubi montium
Mutaret umbras, et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens, abeunte curru, **

nihilominus iure seruitutis rusticae permittatur. Igitur ex mente Pauli possessori praedii mere rustici, concessus in alieno voluptatis usus, pro seruitute personali, et usufructu, qui voluptatis quoque causa constitui potest, ^a habebitur magis, quam pro iure istiusmodi fundi, cuius vilitatem tantum ex reditu aestimamus, ita ut ex urbanis oblectamentis melior istius causa fieri non censeatur.

At longe alia urbanorum praediorum est conditio, quae ad commoditatem potius, quam ad fructum ferendum, comparantur,

^z) HORATIVI Carminum L. III. Od. VI.

^a) vid. ILLUSTRIS CRELLII *diss. de usufructu praedii voluptarii.* p. 19.



tur, et nonnunquam, vt VLPIANVS ^b nos docet, voluptati tantum deferuiunt. In his grata amoenitatum varietas domino pro quaestu esse, nec vllis parci sumptibus solet, vt, inter reliquas oblectamentorum vicissitudines,

latius

Extenta visantur Lucrino

Stagna lacu, platanusque caelebs

Euincat vlnos: tum violaria, et

Myrtus, et omnis copia narium,

Spargant oliuetis odorem,

Fertilibus domino priori;

Tum spissa ramis laurea feruidos

Excludat ictus

de quibus iam ante Paulli tempora dudum testatus est HORATIVS. ^c Quae igitur obstabit difficultas, quo minus noster, ad augendam iucunditatem praedii, permittere videatur possessori, vt huic, etiam in successorum fauorem, a vicino suo, pomi decerpenti, spatianti, aut coenandi, facultatem impetrare liceat, eodem seruitutis realis iure, quo aliae complures apud Romanos

B 2

existe-

b) L. 198. D. de Verbor. sign.

c) Carmin. L. II. Od. XV.



existebant urbanae seruitutes, in quibus amoenitas, et honestae voluptatis usus, non solum causa, sed et sola causa fuit; sicut optime obseruat laudatus NOODT, ^d qui, inter reliqua exempla, istam VLPANI ^e speciem vrget, de seruitute, vt liceat mihi tigna immittere in vicini parietem, supraque ea tigna porticum ambulatoriam facere; et acute addit: *Si ea valet, cur non similiter valeat seruitus, vt spatiari, vt ambulare mihi in tuo liceat. Non enim interest, vtrum in porticu, an in fundo ambuletur; nec magis ad praedii vtilitatem, aut necessitatem, pertinet, quam ius in alieno spatiandi sine porticu.* Quod argumentum, ZACHARIAS HVBERVS, ^f quantumuis in refellenda Noodtii opinione laboret, satis discussisse non videtur.

Certe adeo morosum non fuisse Paullum, vt innocentem, ex alieno praedio, fructum voluptatis prorsus inuidere velle credendus sit, cum ex iure prospectus, quod is probat, ^g tum vel ex eo intelligimus, quod idem ille, licet interdictum quod vi aut clam, si quis arbores non frugiferas ceciderit, ordinarie tantum domi-

^d) Probabil. L. I. c. 2.

^e) L. 8. §. 1. D. si seruit. vind.

^f) all. Dissert. §. 18.

^g) L. 16. D. de Seru. praed. urb.



domino tribuat, tamen, si amoenitas quaedam ex huiusmodi arboribus praestetur, etiam fructuarii interesse *propter voluptatem et gestationem*, ideoque interdicto locum fore, existimat. ^b

Sed occurrendum est dubio, quod nullam praedii vtilitatem continere videatur seruitus nostra voluptaria, cum tamen ipse PAVLLVS desideret, vt seruitutes meliorem praediorum causam faciant. ⁱ Inprimis HVBERS, ^k vt demonstret, species in L. 8. D. de Seruit. propositas, reales seruitutes esse non posse, definitionem vrget, qua seruitus est ius in re aliena, vi cuius dominus in suo aliquid pati vel non facere, *in alterius vtilitatem*, cogitur. Deinde ad CICERONIS ^l iudicium prouocat, qui seruitutem appellari seruitutem posse negat, si non seruiat, i. e. si non vtilis mihi aut rebus meis sit. Tandem, cum VLPIANO, ^m tum PLINIO, ⁿ atque GELLIO, ^o testimonium denunciat, quo fieri fides possit, voluptatem ab vtilitate discrepare.

B 3

Haec

h) L. 16. §. 1. D. quod vi aut clam.

i) L. 6. D. de Seruit. praed. rust.

k) cit. diff. §. 2. seqq.

l) in Orat. pro Plancio.

m) L. 3. §. 4. D. de in rem versf.

n) L. III. epist. VIII.

o) L. XVI. cap. XVIII.



Haec tamen omnia coniecturam meam non ferire crediderim. Equidem melior causa dicitur, si utilitatis quid accedit, ut a POMPONIO *p* discimus. Praeterea nec multum intercedo quod ad seruitutis finitionem, nec in hac causa omnino arbitrium recuso Tullii; quamuis huic, num vere inter Iureconsultos numerandus sit, satis verosimilem status controuersiam mouerit CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK. *q* Denique nec illud renuo, quod utilitas frequenter opponi voluptati soleat. Hoc enim, inter alia, ex discrimine inter utiles et voluptarias impensas intelligitur. *r* At hoc vellem, ut probatum dedisset Huberus, omnem utilitatem solo quaestu absolui, nec vnquam, praesertim ex animo vrentium et voluntate dominorum, *s* voluptaria pro utilibus accipi. Si ipsam vocis notionem consideres, vile est, quod vsum praestat. Iam aliquando illum quoque vti re dicimus, qui voluptatem exinde percipit, et genio indulget. Quorsum illud pertinet, quod apud PLAVTVM in CAPTIVIS *t* est:

Dicant

p) L. 5. D. de in diem addict.

q) in Praetermiff. ad L. 2. D. de orig. iur. §. 46.

r) L. 7. 10. 14. D. de impens. in res dotal. L. 79. D. de verb. signif.

s) v. ILLVSTRIS CRELLII all. diff. de vsufr. praedii volupt. p. 13. seq.

t) Act. IV. Scen. IV.



Dicam ut sibi penum aliud ornet, siquidem SESE VTI

VOLET.

et in MILITE GLORIOSO:^u

Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine.

*Liberæ sunt aedes: liber sum autem ego: ME VTI VOLO li-
bere:*

Imo vero, ut rem propius tangam, sub utilitatis appellatione haut raro artis nostræ magistris generatim veniunt cuncta, quæ nostra intersunt, ut variis ex legibus obseruat BARNABAS BRISONIVS.^w Quæ obseruatio inprimis in seruitutum doctrina vsum præstabit. Neque enim ad imponendam seruitutem semper requiri, ut utilitatem, in sensu stricto sumptam, exinde capiamus, luculentissime fatetur LABEO,^x *seruitutem, inquam, imponi posse, etsi non utilis sit, hac superaddita causa, quod quaedam habere possimus, quamuis ea nobis utilia non sint.* At, si nihil vicinorum interfit, tunc demum non valituram seruitutem, POMPONIVS respondet.^y Vnde, si natura prædii patiat, puta, si vrbanum il-

lud

^u) Act. III. Scen. I.

^w) de verbor. significatione, sub voce: utilitas.

^x) L. 19. D. de Seruitut.

^y) L. 15. D. de Seruitut.



Iud sit, valebit seruitus voluptaria, siquidem, quod PAVLLVS ipse ait, ^z etiam ob voluptatem nostra intererit. Et quidni referat, vt praedium ad possessorum recreationem, nonnumquam omni quaestu potiore, destinatum, compluribus oblectationum varietatibus, tam nobis, quam successoribus nostris, gratius ac iucundius efficiatur? Quodsi adhuc obuertas, haec possessoris quidem, non autem praedii interesse posse: id tantum demonstrares, velim, magis interesse praedii, vt prospectum, aquaeductum ad amoenitatem, aut porticum ambulatoriam, de quibus supra dictum est, habeat possessor. Potius, si rem recte cogitemus, in nulla omnino seruitute ipsius praedii, quod sensu cuiusuis utilitatis caret, interesse poterit, verum, intuitu praedii, hominum, qui possident, quorum gratia, vt IVSTINIANVS ait, ^a natura omnia comparauit.

Neque etiam discrimen inter amoenitatem, et voluptatem, tantum erit, ut cum HVBERO, ^b et aliis, ^c istam quidem ad praedii utilitatem, hanc autem vnice ad personam referamus. Vtramque

enim

^z) L. 16. §. 1. D. quod vi aut clam.

^a) §. 37. I. de ver. diuis.

^b) cit. dissert. §. 9.

^c) vid. WILLENBERGI *diss. de iure amoenitatis. Cap. I. §. 6 et 7. hab. Gedani an. 1718.*



enim proprie ad personas pertinere, accurate ILLUSTRIS RIVINVS obseruat. ^d Quid, quaeso, amoenitas praedii iuuabit, nisi sit, qui illam perferant, et de ea gaudere possit? Hoc autem, de quo gaudemus, idem illud est, quod, si TVLLIO ^e obtemperemus, voluptatem dicimus. Instat quidem HVBERVVS, ^f amoenitatem recipere civilem aestimationem, quia fundus inde pretiosior fieret, quod adfirmari non posset de iis, quae in nostra L. 8. D. de seruit. tractarentur, speciebus, vnicè voluptati personali deseruientibus. At enim vero, aut omnia me fallunt, aut haec differentia nulla est. Nam, si auarum fingamus emptorem, is quantamcunque amoenitatem praedii ne triobolo quidem redimet, quia cuncta ad quaestum refert. Sin venerit, qui praedium vrbanum quaerat, amoenis iucunditatum vicissitudinibus commendabile, vt habeat, vbi interdum genio indulgere, et animum viresque reficere possit, is voluptarias etiam seruitutes, cum praedio coniunctas, non in minimo pretio habebit.

C

Sed

^d) in *diff. de aequali iure dominantis et seruientis praedii, si pascua non sufficiant.*
hab. Lipsiae an. 1738.

^e) de *Finibus L. I. c. 58. et L. II. c. 12.*

^f) *all. loc.*



Sed brevis temporis vsura copiosorem argumenti expositionem in praesenti non admittit; licet inutilis opera non sit habenda, quae in inuestiganda voluptariarum seruitutum natura ponitur. Quis enim est rerum forensium adeo ignarus, ut inter iura personae, et ea, quae cum re ad quemlibet possessorem transeunt, nihil interfore discriminis existimet. Equidem cordatiores **ICTI** cum **ILLVSTRI LEYSERO** nostro, ^g fatentur, ^b Romanorum, in doctrina de seruitutibus, subtilitates, in foris Germaniae attendi non debere. Vnde apud nos consistet seruitus voluptaria, praedio concessa, et, si hoc pacto semel constituta sit, a futuris etiam possessoribus recte exercebitur, quicquid in contrarium subtilis Paullus opinatus fuisset. Attamen, cum auctoritati iuris Romani permulti magis fere, quam ipsis Germanorum moribus, confidant, et ea plerisque, cum **HEINECICIO**, ⁱ communis doctrina sit, quod in iis, quae ius Germanicum non definiuit, etiam quod ad seruitutes, ius Romanum sit receptum, optime soluta ambiguitas videbitur, num valere seruitus voluptaria realis apud nos possit, nec ne, si ad fidem probabile

g) in *Medit. ad Pand. Spec. CVII. med. 1.*

b) *conf. TITIVS in iur. priuat. L. III. c. 13. §. 13.*

i) *Elemet. iur. german. L. II. tit. V. §. CXXXIX.*



babile fiat, praeter simplicitatem morum Germaniae, Romanorum prudentum quoque sententias hocce seruituris genus comprobasse.

Iam vero illud ipsum, cuius gratia hoc, quicquid est, descriptionis, in publicum prodire passus sum, paucis adhuc explicandum superest. Scilicet IMMORTALIS NVMINIS prouidentia factum est, vt POTENTISSIMO REGI AC PRINCIPI NOSTRO, FRI DERICO AVGVSTO, ante quoddam tempus, TITVLO RVM, quae in Digestis DE VERBORVM SIGNIFICATIONE ET REGVLIS IVRIS continentur, in hac academia publice docendorum, MVNVS, mihi demandare, simulque locum atque suffragium in academico Senatu nostro concedere, clementissime placuerit. Quam insignem plane INDVLGENTISSIMI PRINCIPIS munificentiam, vt deuotissima religione veneror, ita meum est, vt, ex instituto maiorum, oratione publica, nouum munus rite capeffam, meaeque, cum, in PRINCIPEM OPTIMVM, pietatis, tum in Patronos meos, obseruantiae, publicum edam documentum. Hoc autem officio, PROXIMO IOVIS DIE, bono cum Deo, defuncturus sum. Quare, ne actui desit celebritas, TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, VOS, ILLVSTRISSIMI COMI



COMITES, VOS, PATRES CONSCRIPTI, VOS, OMNIUM ORDINUM ANTIQVITATES, VOS ETIAM, GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE ACADEMIAE NOSTRAE CIVES AC HOSPITES, tandem vos omnes, QVOTQVOT MVNIS NOSTRIS BENE CVPITIS, quam decentissime rogo, velitis, isto die, me, oratorem licet inexercitatum, at omnis tamen obseruantiae studiosissimum, DE HIS, QVI IN IVRISPRVDENTIA NIMII SVNT, verba facturum, benigne audire, VESTRAQVE exoptatissima praesentia hanc ornare panegyrim. Ego vero per omnem vitam in hoc elaborabo sollicitate, vt in VOBIS suspiciendis, obseruandis, colendisqve, cum quolibet de principatu decerta-
re queam.



P. P. Dom. Iubilare, d. XIII. ante Kal. Mai. A. R. G
CLO IO CC L

V I T E M B E R G A E
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD I
ACADEMIAE A TYPIS





Wittenberg, Diss., 1750



Sb.

VD 18





ENERIS S.
PIS SAXO
Domus Re
rpellanda.
nium bono
euotissima r
autoque ma
da, breuite
a' aetate tar
CTOR AC
RIPTI AM
rum, suo qui
Lectissimi, re
estra tam f
dere, nisi su
ne uiderer,
ne manifesta
VI. Id. Nou
CICIC



13 24/
1750 11

CONIECTVRAM
DE SENSV
LEGIS VIII. PRINC. D.
DE SERVITVTIBVS

EXHIBET



AC

ORATIONEM INAUGVRALEM

SOLENNI RITV HABENDAM

INDICIT

GEORGIVS FRIDERICVS
KRAVS D.

TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE
ET REGVLIS IVRIS PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS

